



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Rassonis Comitiss Diessensis Monasterivm, Vvlgariter, zu S. Grafrath.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

RASSONIS COMITIS DIESSENSIS MONASTERIUM, VULGARITER, *zu S. Grafrath.*

ANNO 954. Rasso Comes ex Andecensi familia, Dux Boiarici Regni limitis Orientalis, vir nobilis & strenuus, Cœnobium in honore Saluatoris omnium Werdee, juxta Amperam construxit, in pede sui castri Razenberge, & illic Monachos collocavit: quod etiam S. Valricus Episcopus consecravit. In hac Ecclesia Comes iste functus vita, sepultus requiescit, ad cuius tumulum signa fuerunt edita.

HAEC Ecclesia postea ab hostibus Ecclesiarum penitus denastata est. Defuncto Comite Rasso successit Fridericus Comes frater ipsius, armis strenuus, qui ad sanctam terram iter faciens obiit, ibiq; sepultus est. Alius vero ac tertius Fridericus, dictus Roch, apud sanctum Blaium, sepultus est in nigra sylva, secundum Ioannem Auentinum.

ADDITIONE S.

DAMASIA Straboni non incognita: Dn. Velfero inter Vindonem & Licum rectè collocata, Vindelicæ portio seu tractus: Comites olim suos habuit clarissimos & passim decantatos: atque in heis inelytum heroem, RASSONEM, siue RATHONEM, nonnunquam etiam RAZZONEM, vulgo S. Grafrath dictum. Hic ab Hainrico Boiorum Duce, Ottonis M. siue I. Imp. fratre, contra Hungaros tum gentiles, sub Toxo rege eorum in Boiariam irruentes, belli Dux lectus, binis vicibus feliciter pugnavit, eosque deleuit. Post adeptam hanc victoriam peregrinationem suscepit ad terram sanctam, vna cum pramemorati Ducis Heinrici coniuge, Dn. IVDITHA, Arnulphi Boiorum item Ducis filia & fundatrice Monasterij inferioris Ratisbonæ; in quo sepulta quiescit. Reuersus in patriam religiosam vitam animo concepit: conquisitis igitur vndique Sum. Pont. Licentia, ac patrocinio Imperatoris multis iisque pretiosis Sanctorum reliquiis, in Insula fl. Ambronis vulgo *im Wörde*; in pede sui castri Razzenberg, Augustanæ Diœcesis in honorem Saluatoris & Beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi construxit insigne Monasterium Werdee dictum, vna cum Ecclesia; quam S. Valricus Episcopus Augustanus consecravit: & collocatis ibidem tredecim Sacerdotibus è familia S. Benedicti; ipse Comes Rasso, haud multo post relicto magna cum humilitate sæculo, cum eisdem se coniunxit: ac religionem D. Benedicti professus, anno Dn. C. M. IV. XV. Calend. lun. ad superos abiit: sepultusq; in eodem templo, multis claruit miraculis.

Sublato è viuis S. Rasso, Ungarorum rex Bulko, cum quatuor Ducibus Lelio, Sura, Toxo & Schaba, & innumera gentilium multitudine circa annum Dn. C. M. LIV. Boiariam denuo ferro & igne destruxit: ac Monasterium S. Rasso funditus deleuit. Fratres vero ex Monasterio Werde fugam capientes, cum magno Reliquiarum thesauro ad arcem Andecensem, Comitum Damasianorum tum sedem, salui peruenerunt.

In peruetusto libro Missali, qui in Monasterio sancti Montis Andex magna diligentia asservatur: subsequenter reperiuntur adnotata: cum propter antiquitatem ipsam, cum ob fidem historię, & scribentis auctoritatem nequaquam obliuioni tradenda: in quibus vel minimum mutare, religioni duxi: nec id candidum Lectorem ægrè laturum puto.

Nouerint Christi fideles, quod ego Fr. Chunradus & conuersus de monte S. Petri qui dicitur Madron & ordinis S. Benedicti, & Professus ibidem, attuli hunc librum ad locum & Montem Andes, Deo & S. Nicolao. Quia atavus meus, qui residebat in castro Andes fecit & comparavit eum ob remedium anime sue, dū

intraui ordinem S. *Benedicti* & locum S. *Petri*, portavi hunc librum mecum tē-  
pore *Rudolphi* Ducis *Baibarie*, cepit litigium inter eum, & Comitem de *Girberg*,  
& quod locus S. *Petri* totus destructus & desolatus, & ibi fratres cum eiulatu  
expulsi, & quod res eorundem deuenerunt in manus alienorum & omnes  
consumptæ, & specialiter reliquæ quas magnus Comes de *Andes* dedit S. *Petro*.  
Quia ataus Carnidis de *Andes* fundauit eandem Ecclesiam & dotauit eam  
vna cum Fratre *Mecchino*, qui est primus inceptor foundationis prædictæ. Qui Fr.  
prædictus fuit Professor in loco *Besseleprunnensi*, quas reliquias ego Frater *Chun-*  
*radus* & hunc librum recepi mecum & destinaui ea ad montem *Andes* & locum  
S. *Nicolai*, Fr. *Mecchinus*, & duo fratres vna cum eo dederunt fugam à loco *Besself-*  
*prunn* tempore *Arnolphi* impii, dum locus destructus & desolatus fuit.

Vid. Ad-  
uersar. hist.  
Basov.

Ego *Chunradus* inueni plures chartas dum veni ad Montem *Andes*, & locum  
S. *Nicolai* in quadam fossa subterranea circa sepulcrum, vbi tumulati sunt fra-  
tres de *Berd*, qui clauserunt finem eorum in prædicto monte, & expectant ibi  
futurum iudicium, & sepultura eorum est in meridionali plaga, vbi pro nunc  
est Cappella S. *Kaderine*. Tum incepimus edificare prædictam Cappellam, & po-  
nere fundamentum, & fodere circa sepulcra eorum inuenimus ossa eorum &  
chartas prædictas in quadam drucula desolata. Quorum nomina sunt, Fr. *Euse-*  
*bii* & *Adalbertus*, & Fr. *Adelherius*, qui Fratres tempore *Arnolphi* impii destructionis  
loci in *Berd* fugierunt ad montem & *Castrum Andes* cum Reliquiis Beati *Raffa-*  
*nis*, & Comitibus de *Andes*. Quas ipsi ambo dederunt ad locum prædictum, quæ  
Reliquiæ Comitibus de *Andes* fuerunt in *Bolserdhansen*. Quæ in procrastino sidata  
in *Andes* fuerunt.

#### REICHERSPERG MONASTERIVM CANO- NICORVM REGVLARIVM S. AVGVSTINI.

AD OENVM supra *Obernberg* & *Passau* fundasse scribuntur *Bernhardus*  
Comes de *Reichersperg*, & *Dietpurg* ipsius coniunx, quæ fuit soror *Geb-*  
*hardi* Archiepiscopi *Salisburgenfis*, ex familia Comitum de *Helfenstain*, pro vt  
ponit *Münsterus* in sua *Chronographia*, ex relatione *D. Lucretij*, Cancellarij  
olim *Salisburgenfis*. Idem *Bruchius* de *Laureaco* veteri, sub *Alcmano* Epi-  
scopo, folio 130.

In *Chronica* autem *Salisburgen*. non fit mentio ipsius *Gebhardi* familie  
præter ista verba, alto *Sueuorum* genere natus, patre *Catholdo* & matre *Azala*.  
*Auentin.* fol. 552. scribit: *Bernhardum* & coniugem eius *Dierburgim*, sororem  
*Gebhardi* *Salisburgen*. Episcopi, & vna cum filio *Gebhardo*, Comitibus à *Pla-*  
*in*, *Reichersperg* fundasse. Credibile est illos *Reichersperg* possedisse, prout alia  
multa bona in *Austria*, supra *Anassum* *Bohemiam* versus. De quo vide in libro  
meo *Stemmatum* *Bauiariæ*.

*CONRADVS* Archiepiscopus *Salisburgenfis* dedit huic *Monasterio*,  
pro meliori sustentatione pauperum fratrum ibi, decimas *Parochiarum*, *Puti-*  
*na* & *Bramberg*, vna cum decimis noualium in sylua *Putinensi*, vsq; ad terminos  
*Vngarorum*, & vsq; ad montem *Hartperg*; excepta tamen *Canonica* portione  
*Parochorum* ibi, Anno 1142.

CONFIRMAT ac magis declarat hanc donationem Successor *Conradi*, *Eber-*  
*hardus* Archiepiscopus, Anno 1156.

SIMILITER quoq; *Conradus* Archiepiscopus, Anno 1179. ac postremò *Fri-*  
*dericus* Archiepiscopus, Anno 1448. Extant diplomata ibi,

IN